



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 34. Joannis Bernardini Scotti fata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

batur etiam maximi momenti negotiis, ac præprimis Campaniæ, & oræ Maritimæ de latere Legatus declarabatur, annumerabaturque illis Cardinalibus, qui pro interpretatione Concilii Tridentini fuere deputati: insuper præfuit Signaturæ gratiæ, Romæque Francisci Regni negotia procuravit, ubi interfuit quoque conclavi, in quo Pius IV. & Pius V. Pontifices fuerunt renuntiati, sub cujus postremi Pontificatu feria sexta die decima nona Novembris anno ætatis suæ trigesimo septimo naturæ debitum solvit, atque in Ecclesia sanctæ Mariæ in via lata e regione Altaris sancto Cyriaco, & Divæ Catharinæ sacrati sine ulla sepulcrali inscriptione Corpus ejus humatum fuit. Ceterum Literatos summopere coluit, percarus Cardinali Borromæo, quem etiam in omnibus suis legationibus comitabatur.

Sæcul. XVI.
A. C. 1568.

§. XXXIV.

Joannis Bernardini Scotti fata.

Denique septimus erat Joannes Bernardinus Scotus natione Italus, vitæ integritate, atque eruditionis præstantia celeberrimus, necnon ex genere per plusquam quadringentos annos nobilitate claro genitus, qui aliquamdiu in Aula Romana Consistorialis Advocatus,

Clacon.
pag. 846.

Sæcul. XVI. tus, ut se Deo sacraret, Clericorum
A.C. 1568. Regularium Theatinorum societatem
 non ita pridem a Petro Caraffa inli-
 tutam selegit, quinimo illum præ cete-
 ris fuisse primum ferunt, quem idem
 Caraffa religioso habitu induit: post-
 quam vero Anno Domini millesimo quin-
 gentesimo vigesimo secundo die secun-
 da Novembris perpetua sponfione sese
 Deo mancipaverat, in eadem Religio-
 ne indefesso studio Græcæ, Hæbraicæ,
 & Caldaicæ linguis incubuit, ac pro-
 gressu temporis Venetiis supremus Or-
 dinis sui Præpositus renuntiatus est:
 cum autem Orientalium linguarum pe-
 ritia clarus audiret, Pauli IV. jussu Lip-
 pomanum Legatum in Germaniam ad
 Cæsarem comitabatur, atque ambo
 mense Octobri Anno Salvatoris nostri
 millesimo quingentesimo quadragesimo
 octavo Roma discesserunt: porro Sco-
 tus anno sequenti ab hac legatione re-
 dux, cum jamjam senio confectus esset,
 sese totum divinæ contemplationi de-
 dere statuit: ast a Paulo IV. Venetiis
 Romam revocatus, primo Archiepisco-
 pus Tranensis, ac demum Anno post
 Christum natum millesimo quingente-
 simo quinquagesimo quinto Cardinalis
 tit. sancti Matthæi creatus est. Res-
 publica Veneta ob hunc favorem gratum
 animum erga summum Pontificem te-
 stabat-

statur, illiusque Dux ad novum hunc ^{Sæcul. XVI.}
 Cardinalem literas dabat, quibus ei pur- ^{A. C. 1568.}
 puram ob merita collatam gratulabatur:
 nec minus quoque Pius IV. Pauli IV.
 Successor Scoti merita celebrabat, un-
 de eidem Anno redemptionis nostræ
 millesimo quingentesimo quinquagesi-
 mo nono Placentinum Episcopatum
 contulit, quem tamen Scotus anno se-
 quenti dimisit, cum priorem suam Ec-
 clesiam relinquere renueret: verum Pla-
 centiam reverti a Papa iussus, ac de-
 mum Anno Domini millesimo quingen-
 tesimo sexagesimo primo Romam revo-
 catus, ibidem maximi momenti negotiis
 præfuit, commissa ipsi eorum cura, quæ
 Concilium Tridenti celebratum, nec-
 non precum Canoniarum emendatio-
 nem concernerent. Denique hic idem
 Præsul denuo ad suam redierat Eccle-
 siam, quam tamen postea nunquam de-
 ferere voluit, adeo, ut nequidem inter-
 esset comitiis, in quibus Pii IV. Succes-
 sor creabatur: attamen vix Pius V. ele-
 ctus fuerat, cum Scotus ab eodem Ro-
 mam vocaretur, ut supremum hære-
 ticæ pravitatis Inquisitorem ageret, nec-
 non Græcorum, & Ecclesiæ Orientalis
 negotia perficeret. Tum quidem ab-
 dicare Placentinas Insulas, curasque
 cogitavit, & facile a Pontifice impe-
 travit ob eam rationem, quod abesse
 Roma

Sæcul. XVI. Roma perutile sibi Scoti consilium, ac
A. C. 1568. prudentiam nollet. Contigit hæc Cardinalis abdicatio Julio mense, anni millesimi quingentesimi sexagesimi octavo, quo etiam anno die Sabbati, secunda Decembris Romæ humanitatem exiit, ejusque obitum profecutus est lacrimis Pius Pontifex: porro defuncti Cadaver sepultum est in Ecclesia Divi Pauli extra urbem inscriptione, sed admodum humili decoratus. Vulgo is dicebatur Scotus Cardinalis Tranensis, ac summo studio Breviarium, & Missale Romanum ad pristinum morem, & institutum, uti nunc cernimus, revocavit, adjectus opera Foscarii Mutinensis Episcopi ex Ordine Fratrum Prædicatorum, aliorumque, qui a Pio IV. & Pio V. ad id munus selecti fuerant.

§. XXXV.

Onuphrii Panvini extrema.

*Thuan. l. 43.
 Possev. ap-
 par. Sacr.*

Inter Scriptores Ecclesiasticos hoc anno mortis violentia sublatos numerandus venit Onuphrius Panvinius Veronensis Ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini alumnus, qui Romanarum antiquitatum cognitione apprime eruditus indefessum in literis laborem impenderat, atque ex consilio Cervini Cardinalis fautoris sui, qui postea sub Marcelli II. nomine in Pontificem fuit